



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

IV. De celebratione Missæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

cam in *Tractatu de Extrema Unctione.*

8. *QUAERO. An Parochus celebrans partem suae hostiae possit dare communicaturo?* Resp. hoc ordinariè fieri non debere. Ex rationabili tamen causa, si non sit alia hostia, & urgeatur quis communicare, potest dari. Ita Sylveste & alii.

CAPUT IV.

De celebratione Missae.

1. *QUAERO. An Sacerdos censura aliquà occultà implicatus, puta excommunicatione, possit celebrare?* Resp. si timeret infamiam vel scandalum ex omissione Sacri, potest; modò doleat de peccato, & proponat prima oportunitate petere absolutionem. Ratio est, quia non videtur Ecclesia cum tam gravi onere obligare ad censuræ observationem: nec tunc ergo fiet irregularis.

2. *QUAERO. An sit mortale peccatum celebrare ante matutinum recitatum?*

Resp. negativè, quia nec tale præceptum rigorosum obligans ad mortale reperitur, nec est ordo per se Divini Officii

Officii cum Sacrificio, sicut est in
partes ipsas Officii Divini. Et licet ta-
lis ordo foret, tamen illius interrup-
tio non est mortalis. Nam etiam ordi-
nem horarum invertere non censetur
peccatum mortale. Est tamen qua-
dam congruentia, ut præmittatur ma-
tutinum sacrificio, quia unum officium
est quasi nocturnum, alterum diur-
num. Quod ut facilius fiat, etiam per-
mittit Pontifex, & Ecclesiæ apud pios
etiam usitata consuetudo, ut pridie
vesperi officium possit recitari. Quod
si quæras quâ horâ? Resp. nihil me de
hac re determinatum reperire. Existi-
mo tamen absoluto officio illius diei
licere etiam tempestivè, hoc est, circa
quartam pomeridianam. Quia Ec-
clesia in ultimis diebus hebdomadæ
sanctæ circa eam horam officium ma-
tutinum sequentis diei solet inchoa-
re.

3. QUÆRO. Quoties teneatur quis
vi sacerdotalis ordinis in anno celebrare
Resp. hoc esse incertum, unde differ-
tiant DD. Quidam enim dicunt quater
quidem

quidem teneri Sacerdotem in vita sua sub mortali sacrificare, cum de ea re non inveniatur præceptum de iure divino aut positivo. Alii, & probabilius dicunt præceptum contineri in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde Trid. sess. 22. can. 1. dicit *Christum illis verbis Sacerdotibus præcepisse ut offerrent, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.* Idem cap. 2. & sess. 23. cap. 17. de reform. præcipit Episcopis: *Curent ut Sacerdotes saltem Dominicis & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequententer ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Incertum tamen manet quoties sub mortali teneatur, quia licet Tridentinum moneat Episcopos, præcipiat ut huic rei advigilent, non specificat præceptum rigorosum de obligatione sub mortali. Quamvis mens Ecclesiæ satis colligatur esse, ut sæpius celebrent. Unde cap. *Dotentes* de celebrat. Missarum, pro delicto numeratur, quod Sacerdotes quidam vix quater in anno celebrarent.

3. QUÆRO. *An sæpius in die liceat celebrare?* Resp. multos hic casus referri à Casuistis, sed duos tantum scias in usu esse: scilicet in die Nativitatis Domini, & quando quis plures Ecclesias habet. Addi fortè posset casus cujusdam necessitatis, quando in aliqua Ecclesia æger esset Parochus, nec alius Sacerdos posset haberi, ut in die solemnè populus Missam audiret. In quibusdam locis *Hispaniæ*, etiã datur privilegium sacerdotibus plures Missas celebrandi in die animarum atque antiquitus dum tantus erat populi concursus, ut templum omnes non caperet, pluries celebrari ab eodem poterat. Ob istam causam dicit *Strabo de reb. Eccl. cap. 21. Sanctum Leonem* in uno die septies Missam celebrasse. Lego etiam in vita *Sancti Alberti apud Milanum* 2. *Missi* quotidie solitum duas celebrare Missas, unam pro vivis, alteram pro defunctis.

2. QUÆRO. *An sint aliqui dies, in quibus non liceat celebrare?* Resp. permissum esse omni die celebrare, exc

ptâ feriâ sextâ hebdomadæ sanctæ ,
 quo etiam die consuetudo non est
 Communionem dandi , nisi ægris in
 periculo mortis. Quantum ad diem
 Jovis sanctum, licet quibusdam in Ec-
 clesiis non soleat nisi una Missa cele-
 brari , in memoriam Christi qui eâ
 die primam Missam celebravit, & ma-
 nu propria Apostolis Eucharistiam
 præbuit: non invenitur tamen rigoro-
 sum præceptum, quo singuli Sacerdos
 res prohibeantur celebrare. Unde
 & à multis solitum est tunc celebrari
 Quantum ad Sabbatum Sanctum, et-
 iam consuetudo obtinet , ut non nisi
 una Missa solemnis tunc temporis ce-
 lebretur. Quapropter & eâ die non
 habetur *Introitus* , qui solet legi in
 Missis privatis. Atque etiam id pro-
 hibetur, Cap. *Sabbato* , de consecr.
 distinct. 3. Adverte tamen istud præ-
 ceptum ex eo originem duxisse, quod
 antiquitus Sabbato Sancto non reci-
 tabatur Officium Matutinum, nec le-
 gebatur Missa de resurrectione ante
 mediam noctem, quæ erat Principium

B b

Domi-

Dominicæ Resurrectionis Patet ex Collecta; *Deus qui sacratissimam nocte, &c.* Unde totam illam diem Ecclesia transigebat in mœstitia, Christi in sepulcro memoriam repræsentans, & resurrectionem ejus expectans. Postea cæpit Ecclesia Missam illam resurrectionis, mediâ nocte legi solitam, celebrare die Sabbati tempore matutino qui mos nunc toto orbe invaluit. Hinc aliqui existimant præceptum illud antiquum abrogatum esse, quod Missam in die celebrare prohibebat: ita ut privatam Missam tunc legere non existiment prohibitum. Quia propter hac in re consule consuetudinem loci in quo degis, in praxi tuam, & magis ad mentem Ecclesiæ videtur abstinere.

5. *QUAERO. Quâ horâ licitum sit celebrare?* Resp. Rubricas Missalis determinare ab aurora usque ad meridiem. Solet autem aurora inchoari unâ hora & mediâ circiter ante Solis ortum. Interim scimus quibusdam in locis solitum esse etiam ante auroram celebra-

re: tum ut famuli, filii-familias, opera-
 tum eam audiant: tum ut iter facientes,
 ea non careant: de quo in multis Belgii
 locis scrupulus non fit. Et cum talis
 consuetudo ab Episcopis sciatur & tol-
 leretur, non videtur peccatum invol-
 vere. Imò *Navarr. cap. 25. Manual An-
 gelus Rosella*, & quidam alii, putant ju-
 re communi id non prohiberi. V. la-
 tius *Navarr. cap. 25.* qui putat privile-
 gia Missæ ante auroram, vel post me-
 ridiem celebrandæ, continere jus com-
 mune, & tantum prodesse ad sedandos
 animos scrupulosorum. Tu in praxi
 consule consuetudinem timoratorum,
 in Episcopatu in quo degis. Nam hoc
 strictius observatur in quibusdam lo-
 cis, quàm in aliis. *Trident. Sess. 22.* ordi-
 nat ut Sacerdotes ultra horas illis sta-
 tutas non celebrent, & hoc de statutis
 intelligi potest cujuslibet Episcopatus
 aut de consuetudine vim statuti ha-
 bente.

Quantum ad noctem natiuitatis, li-
 cet celebrare etiam tres Missas Sa-
 cerdoti privato ante ortum Solis ex

Bb 2

privi-

privilegio *Telephori Papa* Atque generaliter ex communi DD. sufficit, quod finis Missæ in initium auroræ incidat, aut quod Missæ initium circa meridiem inchoetur. Sed & olim in jejuniis quatuor temporum, ut patet de *consec. dist. 1.* etiam post nonam celebrari poterat, eâ horâ quâ Christus illud obtulit quæ etiam tunc erat hora refectiois in diebus jejunii, ut testatur *D. Tho.*

In Natali si quis tres Missas non celebret, potest quam vult eligere, convenit autem maximè tertia.

Nota etiam pro itinerantibus, alios quos docere Sacerdotem festo die impeditum in itinere, posse Missam incipere unâ horâ post meridiem. Ita *Loyman, Henriq. & Suarez.* Addunt alii, quod Sacerdos, si desit copia Confessarii, possit die festo celebrare contentus, ut possint alii audire Missam, licet ipse non esset Parochus, si non sit alius qui celebret *Dicunt & alii* qui itinerantem ut die festo audiat Missam posse celebrare sine ministerio

stro:
ex m
vel m
ne ille
babil
dicun
Missæ
ex par

De

1. Q
rias est
Cingu
neram
re sine
casu ne
esset, p
vel Sto
mortal
nus si q
earum
2. Q
brant e
commu
stro

stro: & si in loco sit ubi desit aliquid ex minoribus ornamentis, puta Stola, vel manipulus aut cingulum, posse sine illo celebrare. Quæ omnia ut probabilia admittit *Diana*. Aliqui contradicunt, quia tunc non obligat præceptum Missæ, ideoque non est necessitas, nec ex parte celebrantis, nec audientis.

CAPUT V.

De requisitis ad celebrandum, & de Stipendio celebrantis.

1. **QUAERO:** *An necessaria sint vestes sacra, & quæ?* Resp. necessarias esse: nimirum, Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, Planetam: ita ut nullo casu liceat celebrare sine vestitu illo sacro. Si tamen in casu necessitatis una ex minoribus desisset, puta Cingulum, vel Manipulus, vel Stola; multi existimant non fore mortale, sine ea celebrare: multò minus si quis per inadvertentiam aliquarum omittat.

2. **QUAERO.** *An omnes hæ vestes debeant esse benedictæ?* Resp. Doctores communiter, omnes debere esse be-